traditiones, commentarius in aliquot ex ultimis capitibus Corani, quaestiones legales solutae, preces. 19) f. 177 v. — 179 v. *Min-risāleh li's-Scheich Nedjm-ed-dīn Abū'l-Djannāb el-ma'rūf bi'l-Bekrī.* Hujus *risālae* vel tractatus ipsius titulus est *Menārāth-es-sāirīn*, Phari viatorum, i. e. institutio eorum qui ad perfectionem spiritualem tendunt, arabice. 20) f. 179 v. — 183 v. Tractatus Scheichi *'Alī Hamadānensis*, de vita spirituali, persice. 21) f. 183 v. — 184 r. Explicationes vocabulorum quae a Mysticis peculiari significatione adhibentur (*iſtilā'hāth-el-meschāich*), persice. 22) f. 184 r. — 214 v. Traditiones et varia alia, ut supra; inter quae eminent fol. 206 r. et v. *Risālei-marghūbeh li-bejān-tschelebī*, i. e. tractatus de vera vocum turcicarum *tscheleb* et *tchelebī* significatione, arabice; f. 206 v. — 208 r. viginti praecepta Abū-'Hanīfae ad filium 'Hammād, arabice; f. 209 r. et v. selecta proverbia arabica. Cod. abs. a *Ma'hmūd Ibn-el-'hādj Naſū'h* A. H. 1085 (Chr. 1674 — 5). Ultimo libri folio 216 agglutinata est tabula, novem et nonaginta nomina vel epitheta Dei in totidem loculis disposita exhibens.

No. 199. Codiculus turc. foll. 36, 12° obl., char. tha'liq, nestha'liq et diwani scriptus, qui praeter pericula calami et alia nihili nonnulla carmina turcica continet.

— 200. Codiculus turc. foll. 66, 12° obl., variis characteribus scriptus, qui et ipse, praeter nonnulla alia, carminum turcicarum collectionem exhibet.

— 201. Cod. arab. foll. 184, 4°, char. neschi scriptus, quo continentur 1) f. 1 v. — 116 v. Idem opusculum quod exhibent Codd. 118 et 159, sc. *Kithāb-a'hwāl-el-qijāmeh.* 2) f. 116 v. — 126 r. Quadraginta traditiones a Propheta et summis Doctoribus moslemicis repetitae. 3) f. 126 v. — 127 v. Traditio prophetica de 24 animalibus quae, quum antea homines essent, propter peccata in animalia mutata sunt. 4) f. 128 v. — 152 r. Tractatus *Ejjuhā'l-waled*, auctore *El-Ghazālī.* Cf. Cod. 172, No. 7. 5) f. 153 v. — 179 v. Tractatus *'Hasani Baſrensis* de 54 officiis pio Muhammedano diu noctuque obeundis. 6) f. 179 — f. 184 r. Institutio Abū-'Hanīfae dogmatica, eadem quam in Cod. 198, No. 13, habemus. Quod illic quatuordecim dogmata primaria recensentur, hic duodecim, id nihil in re ipsa mutat; nam illic quoque ab initio opusculi duodecim promittuntur, sed primum dogma in tria resolutum est, ita ut quartum dogma Cod. 198 sit secundum hujus nostri, et sic deinceps.

No. 202. Cod. maximam partem turcicus foll. 54, 4°, variis characteribus scriptus. Post nonnullas quisquilias reperiuntur 1) f. 3 v. — 8 r. Precationes arabicae, persicae et turcicae, ab antistite sacrorum pro concione recitandae. 2) f. 8 v. — 12 v. Eadem de Doctore mystico *Bājezīdi-Bestāmī* narratio, quae exstat in Cod. 142, f. 43 — 47, sed hic in fine mutila. 3) f. 13 v. — 16 v. Narratio et ipsa in fine abrupta de expeditione a Muhammede III A. H. 1004 (Chr. 1596) adversus Austriacos eorumque socios suscepta. 4) f. 17 r. — 35 r. Carmina turcica. 5) f. 35 v. — 39 r. Narratio de urbe Candia in insula Creta a Turcis sub Ibrahimo I A. Chr. 1645 expugnata. 6) f. 39 v. — 54 v. Poëtica, epistolae, al.

— 203. Cod. arab. foll. 65, 4°, char. nestha'liq scriptus. Insunt 1) f. 1 v. — 59 r. Eadem *Risālei-Mohji-ed-dīn* (quamquam auctor hic non nominatur), quae exstat in Cod. 32. Script. abs. A. H. 1078 (Chr. 1667 — 8). 2) f. 60 v. — 65 r. Isagoge in Logicam, auctore *Aϑīr-ed-dīn El-Abahrī.* Cf. Cod. 75, No. 4. Script. abs. A. H. 1076 (Chr. 1665 — 6).

— 204. Cod. mixtus foll. 266, 8°, char. nestha'liq, passim etiam tha'liq scriptus. Is qui librum congessit, ei pag. 1. hunc titulum praefixit: *Medjmūāth-el-fewāïd we-thedkireth-el-āwāïd el-musemmāth be-fut'hūhāth-el-menāzhir we-murawwi'h-el-chawātir mi'm-mā ichthara'a-ho we-ichthāra-ho djāme'-ho el-faqīr ila-lutf-rabbi-hi el-qadīr.* — Fol. 1 v. et 2 r. exstat index duplex excerptorum quae hoc libro continentur, in quorum priori illa disciplinis, ad quas pertinent,

http://digital.slub-dresden.de/id48837961X/92